



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nobili Viro Gvarnero De Bolland.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

nobis opportuno tempore dante Domino coronando reverentiam & honorem impendas, & nonobstante juramento &c. *in eundem modum ut in prima * precedenti usque non servandum, per te ac tuos potenter & efficaciter intendas ad exaltationem ipsius, ut & nos pro tuæ nobilitatis honore apud eum intendere meritò debeamus. Datum ut supra.*

In eundem modum scriptum est Comiti Hirsuro.

In eundem modum Comiti de Zuanburc.

In eundem modum Comiti de Salzburg.

In eundem modum Comiti de Neojur.

In eundem modum Comitibus de Spanahim.

In eundem modum Trevirensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

In eundem modum Salzburgenfi Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

In eundem modum Capitulo & suffraganeis Ecclesie Maguntinae.

In eundem modum Magdeburgensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

In eundem modum nobili viro Duci Bernardo.

In eundem modum Adulfo Comiti de Lovenburg.

In eundem modum Duci Bavaria.

NOBILI VIRO GVARNERO DE Bolland.

Epist. 37.

Gaudemus in Domino & in potentia virtutis ipsius, quæ tibi & quibusdam aliis amicis & consanguineis tuis misericorditer inspiravit ut ab eo discederes cui nos coronam imperij salva conscientia imponere non possemus, & adhereres illi quem nos intendimus honorare. Sanè cum Romanæ Ecclesiæ dispendium &c. *ut in precedenti usque in finem.*

In eundem modum Gutrifredo de Appelstain.

MAGDEBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 38.

Licet carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum sincera diligamus in Domino caritate, & ad honorem intendamus ipsius, Magdeburgensis tamen Ecclesiæ incrementum nihilominus affectamus, & indemnitati ejus paterna volumus sollicitudine providere. Ne igitur promotio ejus eidem Ecclesiæ sit damnosa, & tu metu damni à devotione ipsius & obsequio retraharis, nos pro eo & fratribus ejus de ipsorum voluntate promittimus quod super possessionibus & honoribus ejus in ipsius præjudicium nihil temerè attentabunt. Quod si forsitan contrarium præsumerent, nos contra eos apostolici favore subsidij Magdeburgensem Ecclesiam juvaremus. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus cum nos eidem Ecclesiæ taliter providere velimus ut de cetero nobis humiliter deferas, & devotè eidem Regi fideliter & constanter adhaereas, regalem ei honorificentiam & devotionem impendens. Alioquin ex quo nos eum in Regem recipimus, sicut per alias tibi litteras plenius intimamus, non possemus ei contra illos qui se ipsi opponerent favorem apostolicum denegare, immo cogermur in eos rigorem ecclesiasticum exercere. Datum &c.

In eundem ferè modum suffraganeis ejus.

In eundem ferè modum nobili viro Duci Bernardo.
In eundem modum Adulfo Comiti de Lovenburg.
In eundem modum Duci Bavaria.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 39.

Gaudere debes in Domino & nobis & Ecclesiæ Romanæ in actionibus assurgere gratiarum quod tuum & Coloniensis Ecclesiæ judicium commendantes, reprobare quod reprobastis & quod approbastis curavimus approbare. Ecce etenim cum duobus favore ad obtinendum imperium non possumus, & cum non tam personæ in imperio quam imperio in persona deceat providere, sitque reputandus ad hoc dignior qui magis idoneus reperitur, persona nobilis viri Philippi Ducis Sueviæ propter impedimenta patentia reprobata, carissimum in Christo filium nostrum Ottonem in Regem recipimus, & regalem ei præcipimus ab omnibus obedientiam exhiberi. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus sicut hætenus, immo fortius quam hætenus in ejus de cetero dilectione ac devotione persistas, & ad honorem & profectum ipsius per te ac tuos efficaciter & potenter intendas, & quoscunque potes ad favorem ejus & fidelitatem inducas. Cum enim gratum nobis fuerit & acceptum si quid auxilij ac favoris ei hætenus est impensum, de cetero grave nobis existeret & molestum si quis se ipsi duceret opponendum, cum imperij Romani nolimus ulterius sustinere jacturam, cujus ei disposuimus conferre coronam. Datum.

In eundem ferè modum suffraganeis Coloniensis Ecclesie.

NOBILI VIRO DUCI BRABANTIAE.

Epist. 40.

Gaudere debes in Domino &c. usque gratiarum, quod tuam & aliorum Principum carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo faventium discretionem & industriam commendantes, reprobare quod reprobastis &c. *usque in finem.*

In eundem modum Comiti Flandria, Duci de Limburg, Comiti Hollandia, Comiti de Sen & fratri ejus, Comiti de Aare, Comiti de Hostade, Comiti de Bergh, Comiti de Arnebergh, Comiti de Arnebergh, Comiti de Therenbergh, Comiti de Voolpia, Comiti de Everstan, ita quod unicuique scorsim.
In eundem modum Comitibus in Saxonia constitutis.
In eundem modum Comitibus in Brunsvich.

HENRICO COMITI PALATINO Rheni.

Epist. 41.

Gaudere debes in Domino & in actionibus nobis assurgere gratiarum quod is cujus imperij non est finis, per nos, licet indignos, vicarios suos genus tuum exaltare disposuit, & de fructu ventris illustris memoriæ Henrici Ducis Saxonie patris tui super sedem imperij stabilire. Quantum autem id ad gloriam tui nominis spectet & honoris tui pertineat incrementum satis intelligit tua nobilitas per se ipsam, cum excepto nomine imperatorie dignitatis, cetera tibi & carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem